

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nummotheca Principum Austriae

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas LI

Herrgott, Marquart

Friburgi Brisgoviae, 1752

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241470](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241470)

neationem habes in *collectione Grossorum*. (9). *M. Imp. ar. K. m. b. l.* P. VII p. 393.

9

Nummus precedenti in averfa omnino fimilis, hinc repetitæ eius delineationi superfedemus. In adverfa vero, cuius typum hic damus, Regis facies mystace est destituta, corona capiti imposita, elegantioris formæ: gladius quoque longior & magis erectus. Verum an ex eiusmodi differentiis diversitas typi nummarii inferri possit, aut potius compressioni nummi, aut oblitterationi ductuum vel striarum, vel denique oscitantia delineantium tribui debeat, in ancipiti est. Docuit me per litteras Vir Cl. *Iul. Car. SCHLAEGERUS*, nummum RUDOLPHI I. ex thesauro Gothano in gazas Vindobonenses illatum fuisse: sed nescio, an illud de typo, cuius delineationem hic damus, an vero de proxime precedenti intelligendum sit. Eius relatio sic habet: RUDOLPHI I. *Romanorum Regis, solidum mediocris magnitudinis olim servavimus, habuimus eum, inquam, nunc enim Vindobonæ gazam Casaream ornat, ad Divum CAROLUM VI. a FRIDERICO II. Principe Gothano, munificentissimoque thesauri Fridensteinensis conditore missus.* Cl. IOACHIMUS Professor Hallensis, qui eundem RUDOLPHI nummum delineatum exhibet (10), in eius descriptione cum Cl. KOEHLERO facit, & de mystace Regis prodita confirmat. Attamen variationes nonnullas adducit, ex quibus conicit, typos quoque nummarios variasse. Diversitas enim est in forma coronæ, habitus Imperatorii, & gladii: in epigraphe quoque stellæ loco, *crucis* signum interiectum comparet. In postica observat post vocem *VRBS punctum*, & vocabulum *AQVENSIS* non per v sed per w scriptum.

Num. II.

10

Alium porro RUDOLPHI nummum profert idem Clar. auctor (11), cuius delineationem hic habes num. III. Adverfa sistit Regem coronatum, quasi sedentem, dextra sceptrum liliatum, sin. globum, cruce instructum, tenentem. Epigraphe: † RVDOLPHVS. Averfa exhibet caput in triangulo cum collo nudo, oblongis & crispatis crinibus, pileo opertum, in cuius medio crucis signum comparet, additis in umbone tribus stellis, cum epigraphe: TREMONIA CIVITAS. Hunc proinde nummum, imperante RUDOLPHO I. *Tremonia* cum icone S. Patroni REINOLDI *Martyris* cusum fuisse docet. *M. Imp. ar.*

Num. III.

11

ALBERTI I.
AUSTRIACI NUMMI.

VI.

Circa nummos ALBERTI I. Rom. Regis duo in quæstionem venire possunt. Primum est: an ex persona Ducis Austriæ unquam aliam pecuniæ speciem cudi iusserit, quam illam, cuius in

TOM. II. P. I.

i 2

Au-

(9) Supplem. Tab. xvii. num. 177.

(10) Append. I. zu dem Groschen-Cabinet Tab. VII. n. 84. p. 76.

(11) Ibid. eadem Tab. VII. n. 83.

Austria communis usus, iam inde a temporibus LEOPOLDI VII. & FRIDERICI *Bellicosi* fuerat, *nummulos* nimirum *bracteatos*, nec non & *solidos* informes? Ad quod respondendum videtur: sub ALBERTO Duce *nummos Viennenses, Neostadienses & Laureacenses*, de quibus supra exposuimus, in commercio perseverasse; quin eorum usum, dato monetariis diplomate (12) confirmavit. Conspexi quidem in diversis museis, quin etiam in scriniis nostris adservamus eius generis nummos, minoris moduli, vetustatem quandam praeferentes, qui absque epigraphe aquilam simplicem coronatam, medio impressam pectori, parmulam *Austriacam* exhibent; at non video causam, cur tales ALBERTO I. vindicari potius debeant, & non aequae ad eius nepotes referri possint? Altera quaestio est: an subinde Rex Romanorum factus, ex persona Regis in nummis compareat? Ad hanc quaestionem respondeo affirmative; binos quippe huius operis typos proferam sequenti §. num. IV. & V. Ceterum uti in nummis iconicis recentioris aevi familiae Austriacae, icon RUDOLPHI I. patris, ita & ALBERTI I. filii effigies saepius recurrit, id quod supra iam monuimus, & in delineationibus mox videbimus.

VII.

Tres omnino adducit nummos ALBERTI I. Imp. laudatus D. IOACHIMUS (13), sed primum, cuius typum ego pariter in gazis aulae Vindobonensis reperi, non ALBERTO Caesari, verum ENGELBERTO Comiti *de Marca* tribuendum esse docet Cl. auctor; quamobrem eius delineationem hic consulto praetermittimus.

Num. IV. Alter nummus genuinus ex thesauro Berolinensi eductus, & a D. SCHOTTO iam editus, in adversa hanc refert inscriptionem: † ALBERTUS ROM. ANORUM REX. Effigies ALBERTI in throno sedentis, capite corona aperta redimito, dextra sceptrum, sinistra globum Imperii tenentis.

In averfa talis legitur epigraphe: VRBS AQVENSIS. VINCE. Schema ecclesiae, cuius tecto & turri imposita bina crucis signa. *Aquisgranum* hic denotari, nummumque occasione coronationis ALBERTI ibidem sparsum fuisse, cum magna probabilitate asseritur: quoniam idipsum cum nummis RUDOLPHI I. patris, factum creditur. Ceterum hunc ipsum quoque nummum laudavit Cl. KOEHLERUS, loco supra adducto, ubi de nummo RUDOLPHI I. fuisse egit.

Num. V. Alius minoris moduli nummus per coniecturam tribuitur eidem ALBERTO, in cuius adversa comparet effigies Regis coronati, dextra gladium tenentis. Epigraphe: † ALBERTUS. In postica parte caput cernitur sub fornice turrato humanum & opertum, infra residuis ex inscriptione litteris NIX, ex quibus nihil excindere poteris. Confer laudatam collectionem *Grossorum* loco citato.

FRI-

(12) Probat. p. 255. num. IX.

(13) Loc. cit. eadem Tab. n. 86, 87. & 88. p. 80. seqq.

QUARTUM.
FRIDERICI
PULCHRI IMP. NUMMUS.

XXXIX

VIII.

Idem Cl. Professor IOACHIMUS subministrat nobis nummum FRIDERICI *Pulchri*, filii ALBERTI I. Imp. (14). Repræsentat ille in aduersa effigiem Regis, corona aperta redimiti, dextera sceptrum, & sinistra globum Imperii, cruce instructum, tenentis, cum epigraphæ: † FRIDERICVS. Aversa portam turritam præbet, sub qua simplex aquila, pandens alas, sistitur. Inscriptio manca est; in ea leguntur literæ GDEBURG, quæ nomen *Magdeburg* quondam expressisse coniectat laudatus auctor.

Num. VI.

14

Alium quoque eiusdem FRIDERICI Imp. nummum producit Cl. IOACHIMUS, *Hagenovia* percussum num. 90. sed ipsemet multum hæsitat, an reuera is nummus cum titulo *Imperatoris* non potius FRIDERICO *Placido*, quam cognomini, dicto *Pulchro*, tribuendus sit.

ALBERTI II.

SAPIENTIS DUCIS AUSTRIÆ NUMMI.

IX.

IN medio huius nummi parmula *Austriaca*, obuersis duobus piscibus cincta. Etsi nummus & inscriptione & aversa parte destitutus sit: dubium tamen non est, quin ad ALBERTUM II. ALBERTI I. Cæsarum filium, cognomento *Sapientem*, Austriæ Ducem, pertineat; hic enim primus inter *Habsburgo-Austriacos*, facto connubio cum IOHANNA, VLRICI comitis *Phirretis* filia, titulum Comitatus *Pherretarum* unacum insignibus adscivit, ditionesque suas & scutum *piscibus Pherretanis*, huius accessione Comitatus adauxit. (15)

Num. VII.

15

Solebant quidem Pherretani duo pisces vario situ suis in scutis adhibere: modo erectos, tum supra cassidem curvos, ut alibi ostendimus (16). ALBERTUS quoque suis in sigillis pisces, aversis capitibus & dorsis quasi iunctis, repræsentare voluit (17) in nummis vero capita, caudæque iunguntur; ut *Austriæ* scutum cingant. M. GOTTWIC. *bract. ex ar. prob.*

16

17

† ALBERTVS. D. ei G. ratia DVX. AVSTRIÆ. Duo scuta iuncta, *Austriacis* & *Styrensis* insigniis conspicua, stellulis binis supra, unaque infra in medio, ornatus gratia, adpositis.

Num. VIII.

s. *anctus* IOANNES BAPTISTA. Imago S. IOANNIS stantis, & dextra baculum cruciatum tenentis, additis stellis sex, quæ pro ornatu sunt.

Nummus hic est eximie raritatis, quo firmatur, seculo XIV. usum etiam in Austria invaluisse, iconem S. IOANNIS BAPTISTÆ in nummis spectandam præbere. Hæc vero consuetudo a *Florentinis*

i 3 pro-

(14) Ibidem Tab. VIII, n. 89, p. 82.

(15) Vid. *Geneal. Habsb.* T. I. p. 25. seq.

(16) Ibid. Tab. 21.

(17) Vid. T. I. Diff. I. & STEYERERI *comment. Alb. II.* Tab. III, n. XII.

- 18 promanavit ad plures Germaniæ civitates (18). De hoc nummo, cuius delineationem debemus Viro Clar. iam antea laudato D. Iul. Car. SCHLAEGERO: idem Humanissimus largitor litteris ad me datis ita commentatus est: S. IOANNIS BAPTISTÆ *imago aureorum*, in quibus conspicitur, prodit antiquitatem, ostenditque, eos ad legem FLORENTINORUM esse *cusos*. Ut enim AUREOS FLORENOS flandi feriundique mos a FLORENTINIS ad ceteros Italos, Gallos, Germanosque manavit: sic etiam populi hi primis temporibus, id est inde a seculi XIII. exitu usque ad XIV. initium & ultra, in isto moneta genere exprimi curarunt non modo FLORENTINORUM patronum, sed subinde etiam eiusdem civitatis insignia. Deinceps quidem, lilii loco altera pars nummi exornari suevit, eius tessera gentilitia, cuius auctoritate aurum flabatur. S. IOANNIS BAPTISTÆ vero icon diu, immo ad seculi XVI. initium usque fuit servata; sicuti vel primi Electorum Ducumque Saxonie FLORENI, qui ex Lipsiensi officina monetaria prodierant, abunde docent: unus horum servatur in Fridensteinensi gaza, *cusus* anno 1500. præcursoris Christi imaginem ostendens in parte antica. Plura de his nummis exempla adducit auctor libri, lingua Italica conscripti, cum titulo: *Il fiorino d'oro antico illustrato*, 4. in *Fiorenza* p. 174. *Thef. Saxo-Goth. aureus Rhenanus*.

RUDOLPHI IV.

DUCIS AUSTRIÆ NUMMI DUBII.

X.

- Num. IX. **S**istit hic nummus aquilam simplicem, pansis alis, *Austriæ* parmulam pectore gerentis.

- 19 De RUDOLPHO IV. plura produximus variantia figilla (19). At nullum hæcenus reperi nummum, qui ei tuto tribui possit. Exercitium nimirum iuris monetae cudendi sufflaminaverat Princeps, ut tributa Austriacis imponeret: quod ex eius diplomate constat, & nos alibi adnotavimus (20). Verum uti ex eius sigillis liquet: RUDOLPHUM *aquila* figuris mire delectatum fuisse, ut adeo quinarium earundem numerum, suum etiam in scutum adscisceret, & in vexillo *aquilam simplicem* gestaret: ita a vero haud multum aberrabimus, si typum huius monetae, ut & binos mox sequentes eius nomini demus. Huiusmodi enim *aquila simplicis* figura Ducibus *Babenbergensibus* tribui nequit; quia parmulam, fascia insignem, impressam habet; quousque autem stirps *Babenbergica* in Austria floruit, *aquila* cum *fascia* in eodem scuto visa haud fuit; sed utraque seorsim comparuit. Tum vero *aquila* hæc primis, ex gente *Habsburgica* editis Regibus concedi non potest; quod ea sine corona, Imperii diademate, comparet. Et si denique demus, avem hanc

(81) Vid. Verzeichniß derer Heiligen auf münzen, p. 13. Leipzig 1746. in 8. (20) Proleg. I. §. VIII. p. VII. & in Probat. ad Proleg. n. X. p. 258.

(19) Tom. I. Diss. I. §. XIII. p. 16.

hanc *Tyrolensium Comitum* tesseram esse, redire tamen oportet ad RUDOLPHUM IV. qui eundem Comitatum unacum eius insignibus familiae Austriacae attulit. *M. Gottov. & M. S. B. ar. prob.*

Sequitur num. x. aquila simplex pennis alis, parmulam *Austriacam* pectore gestans, ut in typo precedenti, hic quidem rotundus est, sed pariter epigraphe caret. *Ibid.* Num. X.

Genius alatus, pileo Ducali ornatus, *Austria* parmulam pectore ostendit. Probabilis est coniectura, hunc quoque typum ad RUDOLPHUM IV. attinere, vel saltem ab eius sigillis originem trahere, ac proinde ad horum imitationem factum esse. Primus namque Principum Austriacorum is erat, qui *telamones* seu *genios* alatos, arma ac scuta sustinentes, suis in sigillis adhibuit (21). Auctor quoque fuit tituli *Archiducis* (22), proinde in signe *Ducum*, quod in diademate continet, conspicuum reddidit. *Ibid.* Num. XI. 21 22

LEOPOLDI III.

COGNOMENTO PROBI NUMMUS.

XI.

PERigraphe huius monetæ sic habet: † LEVPOLDI DVX: AVSTRIE. Num. XII. Trifolio insistit laurea, parmulam *Austriacam* cingens, addita ad latus utrinque sigla L & A, quæ nummum, Laureaci signatum, forte indicant.

s: *anctus* THEOBALDVS. Effigies Sancti THEOBALDI mitrati, & capite nimbo cincto, dextra, quasi benedicens, elata, & sin. pedum tenentis: in imo scutum *Austriacum*. Icon huius Sancti occurrit in nummis, *Vincentia*, civitatis Italiae, nec non *Tanna*, urbe Alsatiae, cufis. Quia vero LEOPOLDUS *Probus* mortuo fratre RUDOLPHO IV. Tyrolim & Alsatiam obtinuit, & cum imperio rexit, probabile omnino est, nummum hunc nostrum *Tanna* percussum fuisse. Accepi enim non ita pridem ab amico nummum, cuius adversa insignia *Austria* iuncta cum scuto urbis *Tannensis* refert, adposita hac epigraphe: † MONETA: NOVA: TANNENSIS. Aversa similiter effigiem S. THEOBALDI exhibet, cum epigraphe: s. *anctus* THEOBALDVS: EP *iscopus* s. Huius delineationem in supplementis nostris reperies Tab. XLIX. n. XXVI. Priorem illum primo possidebat D. de FRANCE, a quo in manus D. SCHWANDNERI pervenit, hic denique illum dono mihi dedit. *M. S. B. ar. pond. 1. denar.*

ERNESTI

COGNOMENTO FERREI NUMMUS RESTITUTUS
A CAROLO V. IMP.

XII.

NULLum huc usque vidi nummum autographum ERNESTI Ducis Austriae, cognomento *Ferrei*. Filius is erat LEOPOLDI III. *Probi*, avus MAXIMILIANI I. Imp. ac CAROLI V. Caesaris abavus. Verum

(21) Tom. I. Diff. I. p. 18. & *ibid.* Tab. VII. n. 1.

(22) *Ibid.* §. XVI. p. 19.

- 23 rum cum Cl. Auctor *collectionis Grossorum* (23) in medium adduxerit minoris formæ *grossum*, iussu CAROLI V. abavi sui affabre cursum, eius typum lubenter meritoque in supplementa nostra referimus Tab. XLIX. num. XXVII. Antica exhibet CAROLI V. caput, parvo pileo opertum, pectusque insigni velleris aurei ornatum, cum epigraphe: CAROL. *us* IM. *perator*. In postica comparet caput ERNESTI barbatum, & Ducali pileo tectum, addito in margine titulo: ERN. *estus* DVX. AVS. *trie*.

ALBERTI V.

DUCIS AUSTRIÆ, POSTEA EIUS NOMINIS
IMPERATORIS II. NUMMI.

XIII.

- Num. XIII. **P**ERIGRAPHE adversæ partis sic fluit: † ALBERTUS D. *ei* G. *rátia* R. *ex* UNGARIE. Scutum quadripartitum, I. quadrans *Hungaricus* est. II. *Bohemicus*. III. *Austriacus*. IV. *Moravicus*.

Aversa hanc epigraphen refert: s. *anctus* LADISLAUS. REX. Effigies S. Regis in pedes erecti, coronati, & nimbo in capite ornati, dextra, loco sceptri, asciam, sin. globum, cruce instructum, tenentis, additis litteris R & S.

ALBERTUS V. (cuius nominis in albo Cæsarum II.) ALBERTI IV. Ducis Austriæ filius, ac ALBERTI II. *Sapientis* pronepos, anno 1438. coronas Hungariæ, ac Bohemiæ & eodem anno diadema Romani Imperii indeptus erat. Æra itaque huius aurei in aprico est; siquidem infecuto anno 1439. die XXVII. Octob. e vivis iam excessit.

Tenemus & nos huic in omnibus similem nummum: nisi quod in aversa siglæ K. B. expressæ sint, & ultimæ quidem litteræ B. parvum crucis signum superimpositum. Reliquos eius generis typos, qui Hungariæ Bohemiæque regna concernunt, amicis nostris li teratissimis ac fociis diligentissimis D. a ROSENTHAL & SCHWANDNERO conquirendos edendosque relinquimus. *M. Imp. au. pond. 1. duc.*

- Num. XIV. † ALBERTVS. ROMANORUM REX. Globus Imperii, cruce instructus, lineis in formam trifolii exaratis, cingitur.

MONET. *a* NO. *va* BASILIEN. *sis*. Icon B. MARIÆ Virginis integra figura, stantis, dextera tenentis Divinum pusionem, corona redimitum.

Ecclesiæ Basileensi, quæ B. V. MARIAM patronam veneratur, imperante ALBERTO II. præfuit FRIDERICUS II. Ep. Is proin hanc novam monetam auream permissu Cæsaris, expresso pomo, Imperii Insigni, cudi curavit. *Ibid. au. pond. 1. ducat.*

- Num. XV. IMP. *erator* CAES. *ar* ALBERTVS. PI. *vs*. FE. *lix*. AVG. *ustus*. REX. GER. *manie*. HVN. *garia*. BOH. *emie*. Effigies ALBERTI sinistrorsum videntis, umbilico tenus expressa, corona clausa redimiti, capillis ad

(23) Locul. II. p. 44. Tab. 11. n. 13.

ad humeros porrectis, cataphracti, dextra sceptrum, sinistra gladium tenentis.

ELISABETHA. ALBERTI. II. ROM. ANORUM IMP. ERATORIS CONIVNX. Icon Imperatricis media corporis forma, dextrorsum aspicientis sistitur. Habitu superbo, torque, nec non cimeliis ornata est: caput velo opertum & corona aperta tectum. KOEHLERI schema, rosam dextræ, strophium sinistræ adplicat; sed rosa in delineatione HERÆI, quam hic sequor, deest. Recte vero Cl. KOEHLERUS docet (24): nummum hunc falsum esse, uti ex titulo & iconum ornatu colligitur, eumque auctorem habere Iudæum, qui plures alios eius generis fabrefecit, quorum ectypa, ad res Austriacas pertinentia, suis subinde locis in medium proferemus; de eiusmodi vero nummis confictis supra iam memini §. II. *M. Imp. au. pond. 8. duc. Ibid. ar. p. 6. dr. & in pl. quoque. T. H. K. m. b. l. P. II. p. 417.*

24

ALBERTVS. ROMAN: ORUM HVNG: ARIE BOHEM: IE ETC REX. Num. XVI. ARCH: IDUX. AVSTR: IE. SIGISMV: NDI. IMP: ERATORIS GENER. 1893. Effigies ALBERTI Regis, dextrum latus obvertentis, coronati, corona aperta, accisis crinibus, barbati, & cataphracti.

Numisma hoc iconicum maximi moduli, nummis utique recentioribus accensendum, cum ob formæ magnitudinem, tum ob typi elegantiam; neque enim ALBERTI II. ætate ars monetaria ad tantum perfectionis gradum pervenerat, ut simile opus produceret. Sed quicumque eius sit auctor, lapsus sane est in exarandis notis chronologicis; substituendus namque annus 1439. loco 1493. Cetera in epigraphe bene se habent; anno siquidem 1438. ALBERTUS Dux Austriae, gener SIGISMUNDI Cæsaris, præcedenti anno demortui, regna Hungariæ Bohemiæque adeptus, supremam etiam Imperatoris Romanorum dignitatem obtinuit; sed insequentis anno 1439. Imperii secundo, ætatis XLII. in Hungaria fati cessit. *M. Imp. a. fus. & M. S. B. auro obduct. in ar. fus.*

Typus hic a præcedenti numismate in paucis differt: Forma aliquantulum minor, sed epigraphe plane æqualis, idemque mendum in notis chronologicis continet: litteræ tamen in hoc numismate auro obductæ, & effigies ALBERTI lima est expolita. *M. Imp. a. fus.* Num. XVII.

LADISLAI

POSTHUMI HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS NUMMI. XIV.

† LADISLAVS. D. CI G. RATIA R. EX VNGARIE. Intermixtæ sunt litteræ Monachales. Scutum quadripartitum. I. quadrans Hungaria. II. Bohemia. III. Silesia vel Moravia. & IV. tesseram sistit Austria.

s. ANCTVS LADISLAVS. REX. Icon Sancti Regis sueta forma, coronati, capite nimbo cincto, & sceptri loco asciam tenentis. Optimates regni Hungariæ LADISLAVO in sinu matris adhuc vagienti coronam imposuere, appositisque pueri Regii capiti manibus, eidem sacramentum dixerunt; sed coronam Bohemiæ anno primum 1453.

TOM. II. P. I.

k

adep-

(24) Loc. cit. p. 418. & P. I. p. 90.

adeptus est. Hæc aliaque ad eius historiam attinentia iis illustranda relinquo, qui res Hungariæ & Bohemiæ data opera ad nummos exigere sese iam accinxerunt. Addemus tamen numisma iconicum, ex gazis Aulæ Vindobonensis eductum, alibi forte haud reperitum. *M. BUOL. & S. B. au. pond. 1. duc.*

Num. XIX.

LADISLAUS D. *ei G. ratia* REX HVNGAR. *ie* ET. BOE. *mie*. Effigies Regis adolescentis, nudato capite, bene capillati, dextrorsum videntis, collo collari, interstinctis unionibus, ornato, cum toga replicata. Numisma hoc, etsi coævum esse haud dixerim, ad archetypam tamen LADISLAI iconem quamdam factum fuisse videtur. Is inter ipsos nuptiarum adparatus, anno ætatis XXII. Christi 1457. obiit. *M. Imp. ar. pond. sesquiunc.*

ALBERTI VI.
ARCHIDUCIS AUSTRIÆ NUMMUS.
XV.

Num. XX.

AL. bertus AR. C.... ISIR. exesa & oblitterata epigraphe. In umbone quaternio scutorum decussatim: supremum fert fasciam Austriacam: illud a dexteris symbolum *Carinthia*: a sinistris *Styria*: in imo *Vinidorum Marchia*.

MONETA. NOVA *Carinthia*. Quinque aves pansis alis, vetus, quod dicunt, *Austria* symbolum.

25

Agendo de sigillis Ducum Austriæ, ostendimus quidem (25): ALBERTUM IV. ALBERTI III. dicti *cum trica* filium, fuisse inter Principes Austriæ primum, qui inductum semel a RUDOLPHO IV. scutum quinque avibus conspicuum, resumpserat, sed verosimile non est, cum, qui ex pacto anno 1386. cum WILHELMO, filio LEOPOLDI III. Austriam administrare cœpit, subinde in *Syriam* profectus, visitatisque sacris *Palestina* locis, in patriam reversus, iam tum anno 1404. toxici vi abreptus, monetam in *Carinthia* novam cudi iussisse.

Propius fidem est, nummum hunc spectare ad ALBERTUM VI. cognomento *Prodigum*, qui a fratre FRIDERICO Cæsare de regendis Austriæ provinciis discedit, & anno 1458. demum initis pactis *provinciam supra Anasum, Styriam & Carinthiam Inferiorem* cum potestate obtinuit, cessa *Carinthia Superiore* unacum *Tyrolis* SIGISMUNDO: Austriæ vero portione, quæ *infra Anasum* protenditur, FRIDERICO relicta. Firmant hoc ipsum parmulae scutarie in adversa nummi expressæ, symbolis, uti diximus, *Austria, Carinthia, Styria, & Marchia Vinidorum* conspicuæ: harum quippe provinciarum ALBERTUS se Ducem ac Dominum esse gloriabatur. Eadem tempestate ALBERTUS cum SIGISMUNDO titulum *Archiducis* assumpsit, & scuto quinque volucrum, alas pendentium, a RUDOLPHO IV. (ut audivimus in sigillis) inducto, se spectabilem reddidit. Sed uter istorum titulum *Archiducis* primo in nummos adsciverit, anceps est. Iam ad contemplandos SIGISMUNDI Archiducis Austriæ nummos gressum facimus. *M. Imp. ar.*

PRO-

(25) Tom. I. Diff. I. §. XX. p. 23.